

seu pactis successoriiis stabilire indubitatumque efficere, bene omnino prudenterque facere opinor legislatores, si congruenter conuenienterque desideriiis ciuium haectenus saltem ordinem succedendi ab intestato determinent, iurique simul repraesentandi inter descendentes semper locum relinquunt, ne, vt inquit Gundlingius in iur. nat. et gent. Cap. XX. §. 67., insolita praecipere videantur.

§. XX.

Iure Romano veteri iuxta et nouo in successione descendenti-um ius repraesentationis obtinet.

Quare etsi iure veteri Romano successio ab intestato tantum ad eos, qui in familia erant, nempe liberos et agnatos, quippe viuo etiam patre condomini seu *συνδεσποτείας* iure gauisos, pertinuit, exclusis emancipatis cognatisque, attamen iam eodem vna cum liberis nepotes in stirpes successerunt, §. 6. Inst. de hereditat. quae ab intest. defer. l. 1. §. 4. ff. de suis et legit. heredib. Quod ius repraesentationis nec postea Praetor edicto vnde liberi emancipatis bonorum concedens possessionem sustulit, §. 9. Inst. de hered. quae ab intest. defer. l. 1. §. 7. et 9. item l. 2. et 4. ff. si tabulae testam. nul. ex tab. vnde liberi. Licet enim illud non expressis Praetor verbis commemorauerit, in dubio tamen leges ante latas correxisse censendus haud est. Taceo, liberorum nomine comprehendi non primi solum sed vltioris etiam gradus descendentes, vt nepotes, neptes, pronepotes, proneptes, et sic deinceps. §. 5. Inst. qui testam. tutor. dari poss. l. liberorum 220. ff. de V. S. Et iure vero nouo Romano, prorsus simul eodem antiquato inter suos et emancipatos discrimine, ius etiam repraesentationis satis diserte introductum est, quando primi gradus liberi cum vltioris gradus descendentiis concurrunt l. 2. Cod. de suis et legit. liber. Authent. in success. Cod. eod. et Nouell. 118. cap. 1. vers. sic tamen.

§. XXI.